



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 6. An Confessor Regularis approbatus in unâ Diœcesi, potest absolvere
in ea subditos alterius Diœcesis, pro qua non est approbatus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

aliquo externo declaratus. Et verò iurisdictio & approbatio requiruntur ad substantiam ac valorem absolutionis: at nulla res existit, nisi actu existant omnia quæ ad eius substantiam pertinent. Neque hîc valet ista reg. jur. in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.* Nam hæc regula solum habet locum in actibus, quorum valor in futurum suspendi potest: at valor absolutionis præsentis suspendi nequit; valor enim Sacramentorum pendere nequit ab actione de futuro.

Q. 5. An sufficit iurisdictio & Approbatio probabilis tantum?

Resp. Non sufficit ad licitè absolvendum, sed requiritur certa. Quia extra casum necessitatis non licet administrare Sacramentum cum opinione tantum probabili eorum, quæ ad eius valorem requirantur: alioqui Sacramentum periculo nullitatis sine necessitate exponeretur, quod est grave sacrilegium. Imò neque sufficit ad validè absolvendum, si iurisdictio vel approbatio reipsâ non existat; nam tunc deest aliquid ad valorem absolutionis requisitum. Nec tunc Ecclesia supplet hunc defectum, sed solum dum Titulus est coloratus, & error communis.

Q. 6. An Confessor Regularis approbatus in unâ Diœcesi, potest absolvere in ea subditos alterius Diœcesis, pro qua non est approbatus?

Resp.

Resp. Potest, etiam à casibus ibi reservatis, sed non reservatis in Diœcesi in quâ est approbatus; nisi eos noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim migrasse. Ita declaravit, Clement X. constit. *Superna* his verbis. *Posse autem Regularem Confessorem in eâ Diœcesi in quâ est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsâ reservatis, non autem illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim, pro absolutione obtinenda, migrasse.* Idem dicunt de Sacerdote sæculari approbato ob tacitum Episcoporum consensum communi consuetudine confirmatum. Hinc mercatores, litigantes, milites, peregrinantes, &c. possunt absolvi à Confessariis loci ubi confitentur: nam hi jure communi, vel ex consuetudine tacite à Superioribus approbata, sunt veluti subditi Episcopi loci, in quo versantur, quantum ad Sacramenta, excepto Ordine. Quod si casus non sit reservatus in Diœcesi Pœnitentis, sed solum in Diœcesi Confessarii, hic non potest illum absolvere; nam per reservationem ei sublata est potestas absolvendi à tali peccato. Præterea Reus debet judicari, secundum leges & consuetudines loci, in quo judicatur. Idque totum constat etiam ex recepta consuetudine.

Q. 7. *An Parochus potest subditos audire, & absolvere in alia Diœcesi, in quâ non est approbatus?*

Cc 5,

Resp.